







21.  
D. IOHANNIS IACOBI HOEFLERI  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ANTECESSORIS

DE 1758,3  
PRIMIS ET GENVINIS  
LEGVM FONTIBVS

83.1  
COMMENTATIO 13/

ACCEDIT

DE  
SOLIDA IVRIS PRVDENTIA  
GENVINIS FVNDAMENTIS  
SVPERSTRVCTA

DECLAMATIO SOLLEMNIS



FRIEDRICH  
UNIVERS.  
ZV HALLÉ

HELMSTADI  
APVD CHRIST. FRIDER. WEYGAND  
MDCCLXI







SERENISSIMO. DVCI. AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

S. R. I. PRINCIPI

BRVNOVICENSIVM. AC. LVNEBVRGENSIVM

DVCI. RÉGENTI

PATRI. PATRIAE. EXOPTATISSIMO

ACADEMIAE. IVLIAE. CAROLINAE

CONSERVATORI. AC. NVTRITORI

LONGE. BENIGNISSIMO

SVSCEPTI. MVNERIS. PRIMITIAS

GRATISSIMO. OBSEQVENTISSIMOQVE

ANIMO

CONSECRAT



SIMVL  
MAXIMVM. BENEFICIVM  
MANDATA. IVRIS. DOCENDI. PROVINCIA  
ORDINARIA  
IN. ACADEMIA. IVLIA. CAROLINA  
LARGISSIME. APVD. SE. COLLOCATVM  
RECOGITANS  
DOMINO. SVO  
LONGE. CLEMENTISSIMO  
MENTEM. INTEGERRIMAM. FIDEM  
SANCTAM. ET. INCORRVPTAM  
CVLTVM. SVBIECTISSIMVM  
CONFIRMAT  
ATQVE  
VT. DEVS. IMMORTALIS  
OPTIMVM. PRINCIPEM  
IMPERI. R. G. PRAESIDIO  
AVGVSTAE. DOMVS. GVELFICAE  
SPLENDORI  
ET. POPVLI. SVI. DESIDERIO



SALVVM. SOSPITEMQVE. CONSERVET

QVAM. DIVTISSIME

PIA. VOTA. SVSCIPIT

EIVS. NVMINI. GLORIAEQVE

DEVOTISSIMVS

IOHANNES. IACOBVS. HOEFLER









DE  
PRIMIS ET GENVINIS LEGVM  
FONTIBVS  
COMMENTATIO.

§. I.  
QVAE PARTES IVRE CONSVLTO DATAE  
SINT EXQVIRITVR.



**S**i iuris prudentia, solida legum cognitione, rectaque earum adplicatione ad humanas, quae illis subiacent actiones, absolvitur, intellectu difficile non est, duas in primis iure consulto datas esse partes: alteras ut primos et genuinos

A 4 legum



legum fontes penitus inuestiget; alteras uero, ut ipsis legibus earumque rationibus aequae atque accuratae factorum scrutiny, tanquam immotis et firmissimis fundamentis, totam iuris prudentiam superstruat. Verum hac in opella academica fontes legum modo persequi, apud animum constitui.

### §. II.

#### DE LEGE EIVSQUE DIVERSITATE GENERATIM.

Et si lex generaliter concepta, est uoluntas imperantis, humanis actionibus necessitatem moralem imponens: magna tamen legum differentia apparet, si et legislatorem, et ea quae eius uoluntati sunt obiecta, itemque promulgandi obligandique modum cernimus. Legislatoris enim intuitu, leges uel diuinae sunt, uel humanae. Illae cultum DEI debitum, et hominum tam propriam, quam aliorum, siue in societate, siue extra hanc uiuentium, praecipiant felicitatem, indeque suas sorti-





fortiuntur denominationes. Porro, quod ad promulgationem, sunt uel scriptae, ut leges in sacro codice reuelatae, uel non scriptae, ut leges naturales; quod ad obligationem uero, aliae uniuersales, aliae particulares. Humanae autem leges, et de externo DEI cultu, et de politicis fanciuntur negotiis, suasque non diuersas solum classes constituunt, uerum, ratione promulgandi obligandique modi, etiam in scriptas et non scriptas, praeterea in uniuersales particulares et singulares recte dispersiuntur.

### §. III.

#### FONTES LEGVM INDICANTVR.

At quibus ex fontibus istae diuersae leges cognoscendae diiudicandaeque sint, praestantissimos inter iure consultos olim disputatum, nouissime uero haec interioris indaginis materies, tum ab ingeniosissimo gallo de MONTESQUIOU in egregio libro *de l'esprit des loix* inscripto, tum a ce-







leberrimo ICto Altorfino HEVMANNO *in*  
*commentatione de fontibus et oeconomia le-*  
*gum ciuiliū* pertractata est; quorum tan-  
 torum uirorum industriam, nunc iam imi-  
 tari non uero aemulari studeo. Vt enim  
 suam sententiam libere proponendi, litte-  
 raria in re publica unicuique facultas data  
 est; ita et ego ingenue profiteor, leges  
 non nisi tribus ex fontibus, *experientia*  
*nimirum, dictato rationis et uilitate* ema-  
 nare.

§. IIII.

EXPERIENTIA QUID SIT,  
 EXPONITVR.

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.  
 Age igitur, primum ad abundantissimam,  
 quae omnes omnium rerum fontes conti-  
 net, originem, puta experientiam, recur-  
 ramus. Extra omnem positum est dubi-  
 tationem, nos non intelligendi et uolendi  
 potentia, itemque sensibus tam externis  
 quam internis, prout uel ad corpus uel ad  
 animam referuntur, modo praeditos, ue-  
 rum





rum innumeras etiam esse res, a nobis cognoscendas. Iam uero si intelligendi facultate, beneficio sensuum, de re aliqua antea nobis incognita effectiue cogitamus, tunc rem non solum percipimus, sed simul etiam quidpiam experimur. Est igitur experientia ignotae rei cognitio.


## §. V.

RESPONDETUR B. THOMASIO ET ILL.  
HENR. BROKES TVM INTER SE, TVM  
A ME DISSENTIENTIBVS.

Perhibet THOMASIVS quidem *in ciu-  
telis circa praecognita iurisprudentiae C.  
XIII. §. 42*; ueritatem perceptam expe-  
riencia saltem illustrari, nullam uero igno-  
tam inueniri posse; cum scientia sit rerum  
uniuersalium, experientia autem singula-  
rium; adhaec experimenta monstrare ef-  
fecta causarum incognitarum, quae per  
illa ideo reperiri nequeant, quia unius rei  
plures esse possunt causae: at hanc opini-  
onem iam refutatam legimus in cultissima


*Henr.*





*Henr. BROKESI praefatione Tomo III. se-*  
*lectarum observationum forensium L. B. a*  
 WERNHER praemissa. Interim cum Ill.  
 BROKES, placita L. B. a WOLF secutus,  
 non internam modo experientiam iuridi-  
 cam neget, uerum externam etiam, cog-  
 nitioni quae in systemate continetur abstra-  
 ctæ, postponat: eo minus illius senten-  
 tiam, libertate philosophandi ductus, se-  
 quendam censeo, quo uerius mihi uideretur,  
 omnem solidam cognitionem sola ab expe-  
 rientia proficisci. Vniuersales enim notio-  
 nes, nisi primis experientia cognitio-  
 nituntur, mera sunt entia rationis, aut po-  
 tius inania uerba. Nam licet intelligendi  
 potentia non solum de re tam praesente,  
 beneficio sensuum, quam absente, ope  
 imaginationis, cogitare, uerum etiam,  
 quod memoriae opus est, cogitationes  
 quas antea habuimus recordari, praeterea  
 tam abstractione, ex pluribus inter se con-  
 iunctis, unum potissimum, obseruata con-  
 uenientiae et discrepantiae ratione, con-  
 tem-





templari, quam ingenio, ea quae inter se  
cohaerentia sensibus nostris nunquam co-  
gnouimus, tanquam connexa nobis concipi-  
pere possimus: tamen omnes quae diuer-  
sis istis modis formantur ideae, necesse est,  
ut primis, sensibus et experientia adquisi-  
tis, fundatae sint perceptionibus; id quod  
accuratissime animaduertit celeberrimus et  
a sectae studio alienissimus Philosophus  
HOLLMANNVS in *Logica Part. I. C. I.*  
*§. 6. et C. II. §. 26. seq.* simul extra con-  
trouersiam Aristotelicum istud posuit axi-  
oma: nihil in intellectu esse, quod non  
prius fuerit in sensibus.


### §. VI.

EXPERIENTIA VT OMNIS COGNITIONIS  
FVNDAMENTVM DEFENDITVR.

Si autem scientia primis ab ideis oritur,  
eo maxime, quod demum ab his, ope  
abstractionis, notiones uniuersales, ex ea-  
rum uero combinatione axiomata, tandem-  
que ab ipsis axiomatibus per ratiocinatio-

nes





nes conclusiones eliciamus, et hoc pacto disciplinarum systemata construamus; si porro sola experientia principes nobis supeditat perceptiones: certo certius est: primarium omnis cognitionis fundamentum stare experientia.

### §. VII.

#### CAVTELA IN EXPERIENDO COMMENDATVR.

Quoniam uero a primis experientia cognitis, omnes reliquae formantur ideae, quam studiosissime curare oportet, ut primae de rebus perceptiones sint genuinae et adaequatae, quas habebimus, et ignorantiam, quam logici uocant particularem, effugiemus, si res secundum singulas suas partes, suaque peculiaria attributa distincte iustaque cum attentione considerauerimus. Quae hoc et in antecedente paragrapho dicta sunt, egregie iam olim discussit summopere uenerandus FEVERLI-

NVS,



NVS, praeceptor aetatem colendus, *in  
cursu philos. elect. Tab. I. et XXVI.*

§. VIII.

QVI AB HVIVSMODI PHILOSOPHANDI  
RATIONE EXSPECTANDI SINT  
FRVCTVS, OSTENDITVR.

Enimuero haec quae hactenus de experi-  
entia diximus, si in litterarum cultura  
fuerint obseruata, inde existent reales et  
pragmaticae scientiae, quas et ab antiquis-  
simis sapientibus, qui doctrinam magis ui-  
tae, quam scholae accommodabant, cul-  
tas fuisse puto. Sed qui graiorum philo-  
sophos imitati sunt recentioris aevi discipli-  
narum doctores, experientia saepissime  
posthabita, solis speculationibus merisque  
uniuersalibus sese implicarunt conceptibus.  
Quo facto, tantum abest, ut scientiarum  
progressus promotus, ut potius fuerit im-  
peditus, et eiusmodi intelligentiae, po-  
liticis sagaciorisque ingenii uiris, iam iam-  
que sint ludibrio. Id quod nostri saeculi  
physi-





physici perspicientes, mox inceperunt, scientiam suam, pristino splendore, experientia nimirum, condecorare. Quo in studio, ut singulos disciplinarum cultores uiderent imitatores, optandum esset. Sed redeamus e diuerticulo in uiam.


### §. VIII.

QVID DE VOLVNTATE NOSTRA ET MODO QVI REBVS INEST, EXPERIENTIA DOCEAT, DISQVIRITVR, SIMVLQVE AVCTOR HVIVS MENSURAE ET FONSONNIS BONI DEMONSTRATVR.

Homo non intelligendi solum, sed uolendi etiam potentia gaudet. (§. 4.) Haec autem sine ideis ab experientia ortis, nunquam se manifestat. Ignoti enim nulla cupido. Iam uero si ad uolendi quam in nobis sentimus facultatem, attendimus, experimur, ope illa fieri, ut rem perceptam uel eligamus uel reiiciamus. Accedit

alia





alia adhuc periclitatio, qua noscimus, in rei electione ad bonum obtinendum, in reiectione uero ad malum auertendum, nos semper respectum habere; indeque uoluntate generatim cognoscitur, quod sit iudicium de re nobis bona uel mala. Praeterea duce experientia discimus, omnia quae tam in nobis, quam extra nos sunt posita, ad certum finem esse praestituta, quo neglecto, bonum obtineri non posse; ideoque bene recteque Poeta Venusinus L.

I. Sat. I. dicit:

*Est modus in rebus, sunt certi denique  
fines,*


*Quos ultra citraque nequit consistere  
rectum.*

Experientia igitur intelligimus, quid bonum quid malum sit, tum praecipue, cum istud felicitas, hoc autem miseria excipit. Quis uero utriusque sit auctor, res est maioris indaginis. Prius originem boni quod uolumus, quam mali quod nolu-

B

mus






mus, scrutemur. Iamiam nouimus, singulis rebus certos esse constitutos fines: Sunt, exempli causa, nobis sensus externi:

*Gustus et olfactus, auditus, uisio, tactus;* quorum fines ante satis superque notos habemus, eosque transmutandos non esse scimus, quam de illorum causa cogitamus. De hac ipsa uero si inquirimus, nec nostris parentibus, nec nobismet ipsis eam inesse facile comprehendimus. Siue enim in illis, siue in nobis, eiusmodi fines constituendi potentia sita esset, nec caecos, nec surdos puto esse futuros, cum deficientibus sensibus, producendi daretur uirtus. Hanc uero et parentibus et nobis deesse, iterum experientia docet. Inde necessario conficitur, existere creatorem perfectissimum, id est DEVM omnipotentem, a quo non sensus solum externi, uerum omnia etiam, quae sunt, proficiscuntur. Perfectissimum autem, non nisi summum bonum esse potest; indeque intelligitur, omnia quae a

DEO





DEO benignissimo ad certum praestitutum-  
que finem producta sunt, uera omnisque  
imperfecti expertia bona esse. En origi-  
nem boni.

## §. X.

IN ORIGINEM MALI INQUIRITVR,  
SIMVLQVE KINGIUS REFELLI-  
TVR.

Priuationo boni infert malum, de cuius  
origine iam diu eruditi in utramque par-  
tem disputarunt. In primis KINGIUS *in*  
*tract. de origine mali C. II. §. 2.* hoc in-  
commodum triplicis esse generis putat,  
*imperfectiois* nimirum, *naturale* et *morale*,  
quem secuti L. B. de LEIBNIZ in *Essais*  
*de Theodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de*  
*l'homme et origine du mal*, et BÜLFFINGER in  
*comment. philos. de origine et permissione*  
*mali, praecipue moralis*. Conueniunt autem  
de eo citati auctores, quod et malum na-  
turale et morale oriatur ex malo imperfe-  
ctionis,





tionis, quod *metaphysicum* uocant. Per hoc uero intelligunt absentiam perfectionum aut commodorum, quae alibi aut aliis rebus adsunt. At si demonstrauerimus, istud ipsum imperfectionis malum esse purum putum ens rationis, rursus origo mali in obscuro latebit. Malum defectus autem, citatus KINGIUS C.III. §.2. omnibus creatis necessario inesse existimat, cum a se non sint. Et inde absurde concludit, a perfectissimo uenire posse imperfectum. Enimuero rationi consonum est, ut a perfectissimo perfectum, contrarium uero, ut imperfectum a perfectissimo emanet. Perfectissimum enim, expers est omnis imperfecti, neque aliter concipi potest. Vbi uero nullus defectus, ibi quoque nulla huiusmodi productio locum inuenit. Absolutissimum quidem ab absoluto gradu differt. Verum haec diuersitas non constituit imperfectum, cum et in perfectis dentur gradus inferiores, absque defectione. Exempli loco sunt bruta, quae





quae in sui conseruatione ac propagatione naturae impulsus sequuntur, licet certum sibi praestitutum modum (§. 9.) non intelligant. Homo contra, istam mensuram perspicit, hincque brutis praestantior est, et notante B. GVNDLINGIO conterraneo honoris causa nominando, *in iure nat. et gent. C. I. §. 1. et 2.* naturae impulsus ratione temperat: nihilo minus rursus experientia testis est, homines naturae impulsibus saepenumero abuti; qui ipse tamen defectus in brutis non obseruatur. Adhaec nonnulla animalia sensibus externis homini praestant. Etenim:

*Nos aper auditu praecellit, aranea  
tactu,  
Vultur odoratu, lynx uisu, simia  
gustu.*

Rationi accedit scripturae sacrae testimonium *Genes. I. u. 31*, quod ex septuaginta interpretum translatione, ita perhibetur:

*καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς τὰ πάντα, ὅσα ἐποίησε καὶ ἰδὲν*








KAAA' AI'AN. Abeat igitur Metaphysicus  
 cum suo malo. Recte AVGVSTINVS  
 L. XII. de ciuit. DEI C. VII. Malae,  
 inquit, uoluntatis, nemo quaerat caussam  
 efficientem: non enim est efficiens, sed  
 deficiens, quia nec illa est effectio, sed de-  
 fectio. Hoc pacto autem cum origo mali  
 meo quidem iudicio, ex ratione non pos-  
 sit demonstrari, merito ad rationis supple-  
 mentum, diuinam nempe, quae experi-  
 entia, accedente SPIRITVS SANCTI il-  
 luminatione, cognoscitur, reuelationem,  
 recurrendum esse censeo. Ibi uero *Gen.*  
*II. u. 16. et 17. et III. per tot.* tristissimum  
 primorum parentum lapsum, grauissima  
 ideo notatum animaduersione, legimus,  
 quod per transgressionem praecepti diuini,  
 de non comedendo fructu arboris scien-  
 tiaae boni et mali, exstitissent laesae diuiniae  
 maiestatis et perduellionis rei. Hinc illa  
 miseria, hinc illae lacrimae. Quodsi uero,  
 inquis, neglectae legis obseruanciae malum  
 adscribendum, qui fieri potuit, ut proto-  
 plasti





plasti perfecti, legem migrarent? experientia constat, uolendi quam in nobis sentimus potentiam, ea esse libertate, ut quidpiam facere aut non facere possimus. Hac autem facultate homo si destitutus esset, inconueniens foret, legem ei praescribi, quod arbitrii sui tum non esset, actiones ad illam componere aut omittere. Soli ergo humanae mentis libertati adponendum, ut quiuis suarum sit auctor actionum, adeoque legis obseruator uel contemtor. Exinde simul colligimus, quem ad modum citra DEI sanctissimam uoluntatem, sapientissimamque prouidentiam, perfectus homo existit imperfectus, cum fines a creatore rebus constitutos (§. 9.) optime sciuit, et tamen illos neglexit. Obiicis: quare igitur DEVS agentia libera creauit? respondet iam citatus KINGIVS *C. V. sect. V. subs. II.* cum sine iis totus mundus mera machina, nec quid ex se agens futurum fuisset. Pergis quaerere: si ergo per legis transgressionem homo sibi





peperit malum, cur DEVS alio hominem non transfert, ubi nihil occurrat, quo ad male eligendum sollicitetur? rursum tibi fatiscit KINGIVS C. V. sect. V. subs. V. dicens: hoc esse genus humanum funditus tollere et idem, ac si quaeratur, cur DEVS terram brutis solis incolendam non dederit. Sed hisce euidentiore adhuc suppeditaturi sumus consutationem, si de legibus diuinis reuelatis infra dicendi erit occasio. Transeat nunc, quod nos iam satis uexauit malum.

### §. XI.

QVID RATIO DE HIS QVAE EXPERI-  
ENTIA COGNOVIMVS DICTITET,  
DISSERITVR.

Iam uero uideamus de ratione, quae in homine est, qua duce ex his, quae experientia cognita perspectaque sunt, leges facili negotio colligi possunt. Quoniam DEVS est auctor uniuersi mundi, ideoque  
et





et hominis ratione praediti (§. 9.) inde intelligimus: *DEVM ab homine super omnia esse colendum.* Porro uero animaduertimus (cit. §. 9.) omnia, quae tam in nobis, quam extra nos, sita sunt, ad certos a DEO, ui sapientissimae eius providentiae, destinata esse fines, quibus neglectis, bonum teneri non possit; idcirco ex hoc inferimus: *uolle DEVM, ut cuiusuis rei finibus conuenienter uiuamus.* En primas et uniuerfales, quas ratio dicitat leges, ex quibus et reliquas infra deducemus.

## §. XII.

NATVRA ET CONSTITVTIO LEGVM  
DIVINARVM POSITIVARVM OSTEN-  
DITVR, ET SIMVL AD QVAESTIONES  
§. X. RESPONDETVR.

Haec autem quae iam nunc exhibuimus  
praecepta naturalia, ab omnibus, qui un-  
quam fuerunt et futuri sunt, hominibus,






sancte esse seruanda, quiuis per facile perspiciat. Quapropter et **DIV. PAVLVS** Apostolus istas naturae leges, omnibus inesse, ideoque a singulis custodiri debere perhibet *in epist. ad Rom. C. II. u. 12. seq.* Atque utinam protoplasti has ipsas obseruassent, poenam profecto in lege diuina de non comedendo fructu arboris boni et mali notatam, effugissent. Etsi uero haec adeo infelix legis transgressio, simul omne malum in mundum induxit: tamen nunquam satis laudanda atque praedicanda est incomprehensibilis **DEI** omnipotentia, quae in ipsa protoplastorum defectione, se efficacissime manifestauit. Etenim homo peccator, non hoc infortunio solum omniscientiam summamque **DEI** iustitiam satis superque sensit, cum grauissimas *Gen. III.* praescriptas et ad posteros proferendas lueret poenas; sed potentissimum benignissimumque etiam expertus est **DEVM**, qui simul prostratis hominibus, quippe qui factum infectum fieri non posse, ideoque perpetua se premi

mife-  
CHR  
plen  
aeter  
neno  
men  
nes  
auit  
ubi  
mit  
hab  
nen  
bon  
exp  
uni  
in  
pri  
run  
CH  
pro  
me  
lan  
ēst





miseria intelligebant, Salvatorem IESVM CHRISTVM reuelavit, quo mediatore, et plenissima cum DEO reconciliatio, et aeterna beatitudo quam tutissime sit obtinenda. Et hoc maximi ponderis argumento, illas §. X. occurrentes quaestiones: cur nempe DEVS libera agentia creavit? aut alio hominem non transfert, ubi malum committere non possit? firmiter esse confutandas, mihi persuasum habeo. Ipsam autem diuinam reuelationem quotidie, ut sapientem, qui non nisi bonum uult, decet, si fuerimus scrutati, experiemur, inter leges diuinas posituias uniuersales, de quibus eruditi iam satis in utramque partem disputarunt, esse in primis duas, quae ceteris antecellunt, quarum altera est: *cognosce DEVM et IESVM CHRISTVM*, altera uero: *ama DEVM et proximum*. Vtramque Saluator noster et mediator unicus, diuine declarat; et illam quidem IOH. XVII. u. 3. Ἀὐτῆ δὲ ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα ἵ γνωσῶσιν σε τὸν μόνον αἰδῶν







ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέσειλας Ἰησοῦν Χριστόν :  
 hanc uero LVC. X. u. 25--28. Καὶ ἰδὼν,  
 νομικός τις ἀνέστη, ἐκπειράζων αὐτόν, καὶ λέγων·  
 Διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;  
 Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτόν· Ἐν τῷ νόμῳ τί γέγρα-  
 πται; πῶς ἀναγνώσκεις; Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν·  
 Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρ-  
 διας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ  
 ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας  
 σου· καὶ τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Εἶπε δὲ  
 αὐτῷ· Ὁρθῶς ἀπεκρίθης· τούτο ποιεῖ, καὶ ζήσῃ.  
 Quae et ipsa lex in IAC. ep. C. II. u. 8.  
 νόμος βασιλικὸς, id est regalis seu cardinalis  
 dicitur. Ex his uero primis legibus diui-  
 nis posituius, quae simul ea, quae rationi  
 post lapsum deficiunt, suppleunt, facile in-  
 telligi possunt reliqua tam uniuersalia,  
 quam particularia praecepta; inter quae  
 ad illorum classē pertinent: leges de Sa-  
 cramentis N. T. itemque de polygamia,  
 diuortio, incestu etc. Positiuae autem le-  
 ges particulares, quae olim in ceremoni-  
 ales et forenses diuidebantur, iam suae  
 obli-



obligationis finem fecerunt; et illae quidem momento mortis CHRISTI, hae uero dissoluta re publica iudaica.

§. XIII.

QVAE EX PRIMIS NATVRALIBVS  
PORRO COLLIGENDAE SINT LEGES.

INNIVITVR.

Videamus nunc, quem ad modum ex cognitis primis naturalibus praeceptis, et reliqua concludi possint. DEVS ab homine super omnia est colendus (§. II.) et quidem eo magis, quod creator noster est omnipotens, omniscius, benignissimus ac iustissimus. In quo autem summae istae perfectiones sunt, ille iure meritoque est amandus et timendus. Intelligimus inde, velle DEVM, ut se ante omnia ex intimo animi affectu amemus et timeamus, omniaque beneficia et illi accepta referamus, et ab illo unice expectemus, ut sanctissimae eius uoluntati morem geramus, in  
 eaque





eaque acquiescamus, uno uerbo, ut *pie uiuamus*. Contra ea hinc colligitur, atheismum, deismum, superstitionem, hypocrisin, blasphemiam, periurium, horrenda illa laesae diuinae maiestatis crimina, grauissimis atque aeternis poenis digna esse, ideoque ut uere pestifera ab omnibus iusti in primis cultore, quam studiosissime esse fugienda. Porro uero nouimus: uelle DEVM, ut cuiusuis rei finibus conuenienter uiuamus. Hac autem lege obseruata, cum non nisi bonum nobis polliceri, et praeterea tum nostram tum aliorum felicitatem promouere possimus, concludimus inde: DEVM qui ad bonum obtinendum rebus fines constituit (§. 9.) uelle etiam, *ut non propriae solum, sed aliorum etiam prosperitati consulamus*. Si igitur tam nostrae quam aliorum felicitatis cura a DEO nobis mandata est, facile perspiciatur, illum, qui alienae felicitati amplificandae postponit suam, finibus rerum non conuenienter uti, atque ulterius inde colligimus:







ligimus: *uelle* DEVM *ut nosmet ipsos ser-*  
*uemus*, atque adeo, si nostra et aliorum  
conseruatio, simul obtineri nequeat, ut  
hanc illi postponamus. En leges honestatis.  
Propriam et aliorum felicitatem impedit læ-  
sio, hancque ut ui etiam a nobis propul-  
semus, præcipit lex de sui conseruatio-  
ne: *nemo igitur laedendus*. Quilibet pro-  
priae utilitati, salua sui custodia, in alio-  
rum commodum, facta inter duos uel  
plures de dando aliquo uel faciendo pro-  
missione, renunciare potest. Qui pro-  
missis non stat, non modo aliorum feli-  
citatem interpellat, sed et læsionem com-  
mittit. Vtriusque autem legis contem-  
tum prohibuit DEVS: ergo *pacta sunt*  
*seruanda*. Atqui uerum est, illum et uti-  
litati aliorum, et legi de sui conseruatione  
inferre iniuriam, qui alterum in facultate  
re sua utendi turbat aut impedit. Vtrum-  
que uero uoluntati diuinæ contrarium  
est: ergo *suum cuique tribuendum*. En  
leges





leges iustitiae. His autem, quas ratio dicitur, legibus utuntur omnes gentes omnesque societates, ut GROTIUS de iure belli et pacis et PUFENDORFIUS de iure nat. et gent. multis ab historia petitis exemplis, declarauerunt.

### §. XIII.

DE UTILITATE POSTREMO LEGVM  
FONTE AGITVR, SIMVLQVE IVS SO-  
CIALE ET CIVILE VNIVERSALE  
DEMONSTRATVR.

Experientiam rationisque dictatum, legum fontes, excipit denique utilitas. Cognouimus (§. 9.) in rei electione nos semper ad bonum adipiscendum respicere; eamque animi propensionem ad bonum in nobis deprehendimus, ut quiuis, nullo quoque legis habito respectu, suae utilitatis consultor et prouidus sit, et pro regula





regula ponat: ea solum esse feligenda, quae propriam felicitatem conseruant, recuperant, augentque. Haec tamen proprii commodi cura, cum aliorum felicitatis propagationem excludit, non nisi bellum omnium contra omnes secum trahere potest. Id quod praecipue HOBESIVS in libro de ciue animaduertisse mihi uidetur. Exinde uero intelligitur, natura quasi homines cogi, ut societates coeant socialiterque uiuant, quo et cuiusuis propria et sociorum utilitas simul defendi possit. Interim historia testis est, multaque dederunt documenta L. B. a LEIBNIZ in codice iuris gent. diplomatico et DU MONT au corps universel diplomatique du droit des gens, aliique, e quibus constat, et ipsas inter societates sibi inuicem non obtemperantes fore perpetuum bellum, nisi pactionibus et consuetudinibus propria cuiusuis societatis utilitas ad leges naturales componatur. Atque adeo

C

ius







*ius gentium* existit, quod, meo quidem iudicio, in defensione peculiaris commodi societatum independentium, pactioibus uel consuetudinibus secundum naturae leges stabilita, consistit. Huiusmodi ius uero, gentibus pro lege est, et potissimum lege naturali de sui conseruatione fundatur, cuius obseruantia pacem, transgressio e contrario bellum parit. Quodsi autem societates in uniuersum sibi mutuo non parent, per se patet, quamlibet confociationem propriae utilitatis causa factam, esse perituram, nisi eadem lege pariter ac omnes communitates, gubernentur. Huius tamen legis obseruatio, ut in una ipsa societate constans et perpetua esset, et inter consortes bellum euitetur, necessitas nascitur, ut quouis in ordine imperantes et parentes essent, quo pacto, maiores societates, respectu familiarum, aliarumque minorum communitatum, sine dubio a cocundo, appellata





pellatae sunt ciuitates. Hinc colligitur, ad imperantem pertinere, omni cura prospicere, ut lex socialis primaria iam memorata, sancte seruetur, et ciuitas ab omni iniuria defendatur; subditorum e contrario esse officium, parere. Cum uero propriae felicitatis amplificatio cum detrimento alienae coniuncta, non nisi bellum inducat, insuperque a totius ciuitatis emolumento, singulorum ciuium pendeat opportunitas, ducitur exinde iuris publici uniuersalis fundamentum: *in qualibet ciuitate, salus publica suprema lex esto.* Atque adeo singulorum ciuium commodum cedere debet publico emolumento. Cuiusuis autem rei publicae utilitas, erga alias policias iure gentium defenditur per bellum et pacem, in ipsa uero ciuitate per leges. His uero, ut ex praemissis patet, et salus publica, et commoditas quorumque ciuium, est promouenda. Quoniam uero, ut uidimus,







praecipua lex socialis fundata est legibus  
diuinis naturalibus, constat inde, *ius ci-  
uile tam publicum, quam priuatum uni-  
uersale, naturae legibus esse temperandum.*

§. XV.

QVAE IN LEGIBVS FERENDIS ET  
COGNOSCENDIS VLTRA CVSTODI-  
ENDA SINT, PERQVIRI-  
TVR.

Si igitur ut iam nouimus, imperantis est,  
utilitati rei publicae singulorumque ciuium,  
beneficio legum, prospicere, maximae uero  
opportunitates e ciuitatum forma, religi-  
one, moribus, regionibus, commerciis  
aliisque, in ciues redundare possunt, si  
eiusmodi emolumentis per leges ipsa ratio-  
ne stabilitas succurritur: extra omnem  
opinor esse controuersiam, in legibus fan-  
ciendis, siue externum DEI cultum,  
aut politica negotia, siue, quod ad modum  
obli-





obligandi, uniuersos, aut quosdam, aut singulos ciues respiciant, non communia iam indicata modo principia, sed cuiusuis ciuitatis etiam singula commoda esse sequenda. Hanc postremam uero materiem supra laudatus MONTESQUIOU iam iam praeoccupauit; quo Catone igitur simus contenti, eique modo adhuc non inutilem libellum IOANNIS BOEMI *de moribus, legibus et ritibus omnium gentium*, adiungamus; de quo uideri potest SCHELLHORN *in amoenit. litter. T. II. p. 497*. Denique illa quae legum adiuuant cognitionem, iterum cum elogio nominandus HEVMANNVS *in apparatu iurisp. lit.* abundantissime exposuit.

§. XVI.

PERORATIO.

Et haec de primis et genuinis legum fontibus differuisse sufficiat. Quem ad modum uero his fundamentis solida iuris prudentia sit superstruenda, propediem






publice sum dicturus. Constituit enim diuina, quam uenerabundus admiror, prouidentia, eaque dirigente, iussit uoluitque SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS DOMINVS CAROLVS, BRVNOVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVX, ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE NVTRITOR MVNIFICENTISSIMVS, DOMINVS MEVS LONGE CLEMENTISSIMVS, ut relicto patrio foro, quod me non cepit, in celebratissima hac musarum sede, munere antecessoris fungerer. Iam pridem gloriosissima OPTIMI PRINCIPIS gubernatione, commune adiuuari bonum, satis intellexi. Atque adeo SERENISSIMI PRINCIPIS clementissima uoluntatis professio, ut primum ad me peruenit, plane mihi pro lege fuit. Aequo igitur animo uale patriae dixi, ueni ad PRINCEPEM SAPIENTISSIMVM LONGEQVE BENIGNISSIMVM, uide AVLAM, et experientia, et ratione, et utilitate, maxime florentem, salutauit amoenissimam ACADEMIAM IVLIAM





LJAM CAROLINAM, tutissimum quod  
fortuna mihi posuit domicilium, quid uer-  
bis opus est? id quod paullo diutius opta-  
ui, obtinui. Pro summis autem acceptis  
beneficiis, deuotissimae gratiarum actionis  
loco, hanc mihi ipsi legem, iure meritoque  
impono: SERENISSIMO PRINCIPI  
CAROLO, AVGVSTAE DOMVI GVEL-  
FICAE, ET ACADEMIAE IVLIAE CA-  
ROLINAE esto fidelis. Et submissam hu-  
ius legis obseruantiam testatam ut faciam,  
simul ad uota confugio, DEVMQVE IM-  
MORTALEM pie precor, ut SERENISSI-  
MVM PRINCIPEM CAROLVM ad  
Nestoreos usque annos, summa incolumi-  
tate, TOTAM uero AVGVSTAM DOMVM  
BRVNOVICENSEM ET LVNEBURGEN-  
SEM perennitate donare uelit. Sit OPTI-  
MO PRINCIPI CAROLO, SAECVLI  
NOSTRI DELICIIIS, semper felix fau-  
stumque regimen, EIVSQVE ILLVSTRIS-  
SIMOS EXCELLENTISSIMOSQVE PVR-  
PVRATOS, protegat DEVS; hoc uero






potentissimo et unico omnium rerum moderatore, floreat, uigeat, crescat, in perpetuam SUI BENIGNISSIMI NVTRITORIS laudem, ALMA ACADEMIA IVLIA CAROLINA. Huic ergo, ut futuro semestri tempore, pro uirili, omni officio satisfaciam, publice hora X--XI Struuii Iurisprudentiam Romano-Germanicam forensam explanabo; priuatim uero hora IIII-V suauissimos commilitones, qui iam sua mihi significauerunt nomina, comite Knorrio, tum praeceptis tum exercitationibus, ad praxin iudiciariam sum instituturus. Adhaec praesto ero disputaturis, atque in administrando mihi quam clementissime concredito munere, diligenter eo allaborabo, ut nihil ad ostentationem, omnia uero referam ad conscientiam.

P. P. IIII. Iduum Octobris

CICIOCCLVIII.





DE  
SOLIDA IVRIS PRVDENTIA  
GENVINIS FVNDAMENTIS  
SVPERSTRVCTA

DECLAMATIO SOLLEMNIS









ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE  
VICERECTOR MAGNIFICE  
ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES  
VIRI SVMME VENERABILES CON-  
SVLTISSIMI EXPERIENTISSIMI  
AMPLISSIMI  
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI  
COLLEGAE CONIVNCTISSIMI  
HOSPITES HONORATISSIMI  
SVAVISSIMIQUE  
ET VOS QVI SPEM FVTVRI SAECVLI  
SVSTINENTIS GENEROSISSIMI AC  
NOBILISSIMI ACADEMIAE  
CIVES  
AVDITORVM ET VETERIS PROSAPIAE  
SPLENDORE ET VIRTVTIS  
LAVDE  
FLORENTISSIMA CONCIO.

**S**i qui uestrum sunt, AVDITORES  
OMNIVM ORDINVM HONORA-  
TIS-





TISSIMI, quibus dicendi munus, quod nunc subeo, arduum grauissimumque uideatur: eos facile existimatuos credo, non sine aliquo timoris sensu me ad dicendum processisse. Id quod, paullo liberius ut fatear, iustissimae causae me impellunt. Siue enim almae huius musarum sedis celebritatem, siue uiros de ea immortaliter meritos, siue ipsum hunc suggestum, in quo frequenter facundissimi oratores uerba facere solent, intueor: sane dubius haereo, an huiusmodi dicendi prouincia, uiribus meis respondeat. Contra ea si apud me perpendo, quaecunque mortalibus prospere eueniunt, nequaquam casu et fortuito, sed potius diuina fieri directione: eo confidentius declamantis partes suscipio, quo certius incomprehensibilem DEI IMMORTALIS prouidentiam, uenerabundus possum praedicare. Hac enim factum, ut iam olim propenso animo legum studio me praecipue addixerim; inde non iuris prouidentiam





dentiam solum cum Philosophia perpetuo coniungere, uerum utriusque scientiae etiam summos honores, et auspiciato impetrare, et illis legitime uti; inde per quatuor lustra negotiis forensibus aequo secundo successu interesse atque consulentibus de iure respondere mihi contigit. Diuinam uitae meae gubernationem, luculenta illa testimonia abunde quidem declarant: at enim uero ex quo IOHANNES CONRADVS SIGISMVNDVS TOPPIVS doctor iure consultus de re publica et literaria optime meritus, fato defunctus, his multo euidentius expertus sum. Inde enim euenit, ut SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS DOMINVS CAROLVS, BRVNOVICENSIVM ET LVNEBURGENSIVM DVX, ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE NVTRITOR MVNICENTISSIMVS, DOMINVS MEVS LONGE CLEMENTISSIMVS, in celebratissima hac musarum sede, mihi antecessoris partes indulgentissime decerneret.

Singu-







Singularem profecto GRATIOSISSIMI  
 PRINCIPIS clementiam, ut in omni uita  
 deuotissimo animo praedicem, facis caus-  
 sae habeo: et hoc pacto sapientissimam  
 SVMMI NVMINIS prouidentiam, iterum  
 iterumque agnosco, ueneror, admiror,  
 in eaque confido, fore, ut si quid ardui  
 negotii ex lege officii suscipiendum sit,  
 id ferre humeris et sustinere possim.  
 Equidem publice et sedulo in Academiis  
 profitentibus, uariam et mutabilem non-  
 nunquam aduersari fortunam, non igno-  
 ro: sed firmissimo diuinae prouidentiae  
 munitus praesidio, solam uirtutem sector,  
 inconstanti, quae ueram felicitatem ne-  
 que parat, neque destruit, fortunae, non  
 seruiuo. Censente enim Sallustio (1) dux  
 atque imperator uitae mortalium animus  
 est, qui ubi ad gloriam uirtutis uia graf-  
 satur, abunde pollens potensque et cla-  
 rus est, neque fortuna eget, quippe quae  
 probitatem, industriam, aliasque artes  
 bonas,

(1) In bello Iugurth. C. I.







bonas, neque dare, neque eripere cuiquam potest. Virtutem autem dum amplector, non possum non rationi, quae cuiusvis rei finibus conuenienter uiuendum esse dicitur, obtemperare, eaque persequi, quae iure meritoque a me possint expectari. Alma haec Academia a benignissimis nutritoribus DIVO IULIO et clementissimo nostro PRINCIPE AC DOMINO CAROLO, SERENISSIMIS BRUNOVICENSIVM ET LYNEBURGENSIVM DVCIBVS, suam feliciter sortita est denominationem. Alter condidit, (2) alter

(2) Conf. historica narratio de inauguratione Academiae Iuliae et promulgatione privilegiorum a MAXIMILIANO II. IMP. collatorum. Cuius editio secunda a D. Corn. Diet. KOCHIO curata Helmstad. 1713. f. Add. Henr. MEIBOMII oratio de Academiae Iuliae primordiis et incrementis; quae inserta reperitur Tomo III. rerum germanicarum a Meibomiis collectarum et Helmstad. 1688. f. editarum p. 215. seq. PFEFFINGER in historia domus Brunsvic. et Luneburgens. Tom. I. L. III. C. 14. Qu. 2. resp.







ter hanc musarum sedem in singularem tutelam suscepit: (3) Ambo uero ut sibi illam uindicarent, unam eandemque rationem secuti sunt. Historia testis est, **DIVO IULIO**, cuius sanctae religionis exemplar, hoc acroaterium illuminat, in ordinanda hac studiorum uniuersitate, nihil prius, nihil antiquius fuisse, quam prospicere, ut in illa salutaris euangelii doctrina aequae ac humana sapientiae integra et incorrupta traderetur posteritati, bonoque ingenio praediti haberent, ubi animi uires tuto periclitari aliosque ad aemulandum excitare possent. Quae res ut **DIVO IULIO** quam felicissime cessit; ita **SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO CAROLO** perinde curae cordique est, ut perpetuo conseruetur. Neque, quod diuinae prouidentiae

13. Phil. Iul. **RETHMEIER** in hist. eccles. Brunswic. P. III. C. 8. Sect. 7. §. 1-5.

(3) Die xxx. Martii clōccccxxxv. Ex quo haec Academia appellata est **IULIA CAROLINA**.







tiae adponendum, perquam laudabile hoc institutum, prospero effectu unquam caruit. Iam dudum haec Academia celeberrimis in Germania eo maxime adscripta est, quod, tanquam foecundissima mater, magnum eruditissimorum uirorum prouentum attulit, qui non illi solum, uerum uniuersae etiam rei publicae litterariae, sunt ornamento atque admirationi. (4) Vereor ne modestia eorum, qui nunc iam commodum huius Academiae egregie promouent intercedat, si prolixè eos collaudare aggrediar. Neque adeo decessorum elogio meo maiorum memoria, commendanda mihi uidetur. Quem enim litteratorum, inter tot magna nomina fugiunt CALIXTI, MEIBOMI, et qui primum nuncupandus erat Germanorum GROTIUS, HERMANNVS CONRINGIUS? Mea tamen interest, de HAHNIO, EICHE-

(4) Lumina Academiae Iuliae Carolinae in synopsi exhibuit CHRYSANDER Helmstad. 1746. 4.





CHELIO, HVLDERICO AB EYBEN, ENGELBRECHTIIS, WERLHOFIO, A LEYSER, KRESSIO, DE GOEBEL, CONRADIO, TREVERO, PERTSCHIO, aliisque qui hanc Academiam illustrarunt iure consultis, exemplum capere, ut habeam, quod sequi possim. Rectissime enim Plinius Secundus, (5) stultissimum credit, ad imitandum non optima quaeque proponere. Tantum autem abest, ut uim tantorum uirorum assequi posse, mihi persuasum habeam, ut potius eorum modo uestigia premere studeam. Id enim si fecero, MVNIFICENTISSIMI HVIVS ACADEMIAE NVTRITORIS uoluntatis, quae mihi pro lege est, satisfactum esse arbitror. Iam uero ut munus susceptum sollempnis excipiat declamatio, mores et statuta huius Academiae postulant. Accedit gratissima hodierni diei recordatio, quo ante centum quatuor et octoginta annos, haec Academia a DIVO IVLIO

(5) L. I. Ep. 5.







I V L I O felici auspicio inaugurata, atque inter tot rerum vicissitudines, summa DEI potentia, ab omni periculo conseruata est. Cum autem de natali Academiae die, qui iterum felix faustusque illuxit, nunc iure meritoque laetemur: ita peractis iam sacris publicis restat, ut more maiorum, in splendido hoc acroaterio, diem Academiae anniuersarium, oratione publica, aequae celebremus atque DEI auxilia saluti PRINCIPIS NOSTRI CLEMENTISSIMI et perennitati huius Academiae pie imploremus. Et haec in causa sunt quapropter coram tam splendida concione, de solida iuris prudentia, genuinis fundamentis superstructa, differere, simulque precibus uotiuis DEVM adorare apud animum constitui. Vestram igitur, AV-DITORES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, humanitatem animique propensionem imploro, et ea, quae par est reuerentia, a uobis rogo uehementerque





cupio, ut mihi dicturo, beneuolas aures  
praebere haud dedignemini.

Ego uero, **AVDITORES OMNIUM  
ORDINUM HONORATISSIMI**, cum de  
solida iuris prudentia, uerba apud uos  
iam facturus sim; uelim ut cogitetis, ni-  
hil prorsus negotii mihi esse cum sectaria  
aut superficialia legum notitia: (6) sed  
eam solum me spectare scientiam, quae  
non modo animum intima legum cogni-  
tione informat, uerum etiam ad huma-  
nas actiones aequae diiudicandas atque eas-  
dem ad leges rite adplicandas instituit.  
Bene recteque enim Celsus iure consultus  
perhibet: (7) scire leges, non esse uerba  
aut nudas notiones earum tenere, sed  
uim

(6) Vid. Chr. Gottfr. **HOFFMANNI** oratio de  
triplici iuris prudentia, superficialia otiosa et  
solida, Francof. ad Viadr. 1723. 4. Add. Io. Sal.  
**BRUNNQVELLI** progr. de praecipuis so-  
lidioris iuris prudentiae impedimentis, Ienae  
1728. 4.

(7) in L. XVII. D. de legibus etc.





tim ac potestatem. Huiusmodi autem iuris peritiam si cum factis conferatur, ueram demum constituere iuris prudentiam, quis est qui dubitet? Quoniam uero, in eo, mea oratio uersatur, ut significem, quo pacto illa quae genus humanum necessitudine attingit disciplina, genuinis fundamentis superstruenda, suoque natio splendori reddenda sit: necesse est, distincte ut rem explicem, et prius ueram legum intelligentiam, quam accuratam factorum inuestigationem dispiciam. Quem ad modum omnium sciendarum communis ea est ratio, ut tum maxime existimentur solidae, cum ex peculiaribus suis principiis deducuntur: ita recta legum cognitio non alia est, quam quae ex genuinis earum fontibus petatur. E quidem de his iam alibi commentatus atque professus sum, legum origines, modo ab experientia, modo a dictato rationis, modo denique ab utilitate esse deducendas. Igitur id mecum iam uoluo,





commonstrem, quo pacto ex indicatis principijs legum uirtutes et rationes sint cognoscendae. Ea uero iurium natura est atque conditio, ut legislatoris respectu, alia diuina, alia humana appellentur: utraque etiam pro diuerso promulgandi modo, in scripta et non scripta dispersiantur. Ad leges diuinas non scriptas, quibus tota iuris prudentia naturalis absoluitur, quod attinet, qua ratione eae ex suis fontibus emanent, iam proposui. His autem principijs, uniuersam Philosophiam aequae ac historiam magno esse adiumento, inde manifestum fit, quod solida rerum earumque finium, quam Philosophia parat, cognitione, partim sentimus atque diiudicamus, quid iustum uel iniustum sit, partim ex humanorum factorum eorumque euentuum narratione; iudicia nostra, non modo firmamus, uerum etiam, quae sint facienda aut omittenda experimur. Qui uis adeo facile intelligit, solidam legum naturam




turalium, quibus ius naturae et gentium  
 constat, cognitionem, non nisi ex disci-  
 plinis philosophicis et accurata rerum ge-  
 starum notitia, esse deriuandam atque am-  
 plicandam. Id quod iam dudum ab  
 aliis bene cognitum iudicatumque fuit.  
 Recte enim Tullius, romanae eloquen-  
 tiae parens, cum optime perspectum ha-  
 beret, humanas leges ex naturalibus esse  
 interpretandas, concludit: (8) iuris  
 prudentiam non a praetoris edicto, ut  
 plerique sua aetate faciebant, neque e  
 legibus duodecim tabularum, sed peni-  
 tus ex intima Philosophia esse haurien-  
 dam. Neque minus Franciscus Baldui-  
 nus solidae iuris scientiae propagator, ar-  
 tiffimum historiae cum iuris prudentia  
 nexum intuens, perhibet: (9) iuris pru-  
 dentiam cum historia esse coniungendam,  
 D 4 hanc

(8) Lib. I. de legibus C. V. p. 1287. ex editione  
 Iac. GRONOVII, Lugd. Batavor. 1692. 4.

(9) Lib. II. de institutione hist. uniuers. et eius cum  
 iurisp. coniunctione *πρωτεγομενων* pag. 178, ex edi-  
 tione GUNDLINGI, Halae 1726. 8.






hancque coniunctionem tam necessariam esse, ut tanquam unius corporis indiuisae partes aut membra diuelli neque possint, neque debeant. Quodsi ergo leges naturales, omnium legum humanarum fundamenta, ex intima Philosophia sunt cognoscendae; profecto omni studio cauendum, ne sectaria aut superficialia Philosophia iuris prudentiam naturalem corrumpamus, quin potius rectae philosophandi rationi operam demus, quod fiet, si in nullius magistri uerba iurabimus, solam experientiam magistram sequemur, nullas abstractas cogitationes, nullaque iudicia uniuersalia, quae genuinae experientiae repugnant, pro ueris agnoscemus. Hunc philosophandi modum tenens Seneca, (10) non, inquit, me cuiquam mancipauit, nullius nomen fero, multum magnorum uirorum iudicio credo, aliquid et meo uindico. Quoniam uero uniuersa Philosophia, cui

quan-

(10) Ep. XXXXV.







quantitatum scientia tam arcte cohaeret, ut cum illa unum ueluti corpus efficiat, sola experientia nititur; hanc autem historia in primis mirum in modum auget, inde porro conficitur, rerum gestarum notitiam, non cum iuris prudentia solum, uerum cum tota etiam Philosophia esse coniunctam. Ea tamen accurata dici meretur historia, quae genuinis monumentis, utpote inscriptionibus, nummis, statuis, gemmis, diplomatibus atque codicibus, quibus res notatu dignae ab obliuione uindicantur, fundata, praeterea res, ut uere sunt, ingenue narrat, iisque nihil addit, nihil detrahit, factaque hominum; secundum naturae leges et prudentiae regulas, quasi depingit. (11) His

D 5 igi

(11) Conf. Iac. SPONIVS in egregia praefatione, miscellaneis eruditae antiquitatis, quae Lugduni 1685. f. prodierunt, praemissa. Add. Methode pour étudier l'Histoire par Mr. l'Abbé LANGLET du FRESNOY à Paris 1734. IV. Vol. 4. Supplement de la Methode pour étudier l'Histoire.





igitur firmissimis fundamentis, solida exsurgit iuris prudentia naturalis, quae si deinceps legum humanarum interpretationi adhibetur, nescio quid praestantius reperiri possit. At uero de iuris diuini non scripti inuestigatione, cum iam satis dictum, ordo postulat, ut leges scriptas in primis uniuersales in sacro codice a DEO reuelatas, attingam. Quoniam earum legum indoles est, ut cum naturalibus partim conueniant, partim ea, quae ratione cognosci non possunt, plenissime suppleant: inde intelligitur, solidam earum cognitionem, tum e iuris prudentia naturali, tum e sacrae scripturae scrutatione cum genuinis subsidiis hermeneuticis coniuncta, pendere. Porro uero considerandae ueniunt leges humanae et scriptae et non scriptae. Vtraeque aut exter-

num  
re a Paris 1740. II. Vol. 4. Nouveau Traité de diplomatique, ou l'on examine les fondemens de cet art et établit des regles sur le discernement des titres. Quod inigne opus Parisiis ab anno 1751. III. Vol. 4. prodire cepit.



num DEI cultum, aut politica negotia respiciunt. In huiusmodi legum interpretatione, necesse est, ut attendamus, quid ratione dictet, quidue utilitas sua deat. Et quidem illae quae conclusio- num instar a legibus naturalibus ducun- tur, ex his ipsis rectum capiunt intelle- ctum: at tamen in legibus, quas utili- tas suggerit, explicandis, alio adhuc ad- iumento opus esse, intellectu difficile non est. Harum enim interpretationem, prae- ter naturalem iuris prudentiam et pru- dentiae regulas, historia iuris non solum in uniuersum, uerum etiam status cum sacrae rei publicae tum politicae illius tem- poris, quod ipsae leges conditae fuerunt, praeterea ritus et mores cuius civitati et coetui peculiare, cum primis adiuuant. Inde in humanarum legum, quae de sa- cris externis praecipunt, explicatione, ante omnia considerandum, utrum hu- iusmodi praecepta ea modo sanciant, quae leges naturales uel diuinae positivae uni- uersa-





uersales perhibent, an simul sacrae rei publicae conditionem respiciant. Posteriori si apparet, in earum scrutatione, et sacri ritus, et historia ecclesiastica, necesse est, ut adhibeantur. Haec enim adminicula, eiusmodi legum genuinum sensum suppeditare, in primis Thomafius itemque Pertschius, et optime censuerunt, et egregiis exemplis comprobaerunt. (12) Idem dicendum de cognitione

(12) Conf. Christ. THOMASII cautela circa praecognita iuris prudentiae ecclesiast. Halae 1723. 4. PERTSCHI Versuch einer Kirchen-Historie, so fern solche als eine Einleitung zur geistlichen Rechts-Gelahrheit kan angesehen werden. Saec. I. Lips. 1736. 4. Saec. II. ibid. 1737. Saec. III. Guelferb. 1738. Saec. IV. Pars I. ibid. 1739. Pars II. 1740. prod. Add. I. H. BOEHMERI dissert. praelim. de necessitate et utilitate studii historiae ecclesiast. in iuris ecclesiastici prudentia, select. obseruat. in PETRI de MARCA de concordia sacerdot. et imper. dissertationes, praemissa, Lips. 1708. f. BRUNNQVELLI dissert. de utilitate ex historia atque antiquitatibus sacris in iuris prudentiae ecclesiasticae studio capienda,





tionem legum, quae de negotiis politicis latae, quasque praeter iuris naturae rationem, utilitas ciuitatis flagitauit. Cum illarum enim expositione, si recte procedere debeat, antiquitatum et historiarum studium aequè necessàrio esse coniungendum, ex hoc quod iam dictum, satis superque apparet. His praesidiis, olim cum parcissime uterentur glossatores, leges inde perquam uitiose ab illis explicatas esse, dudum a iure consultis emunctae naris, cognitum iudicatumque fuit. Contra ea ex quo praestantissimi legum interpretes, tum publica tum priuata iura, cum antiquitatibus et historia contulerunt, multum lucis et claritatis iuris prudentiae confestim accessisse, tot iure consultorum egregia opera abunde testantur. Verum, quae de legum humanarum intellectione haectenus disserui, aequè scriptas ac non scriptas attingunt. Scrip-

prae

pienda, praemissa INNOCENTI CIRONI  
obf. iuris can. Ienae 1726. 4. editis.








prae praeterea, quod ad uerba, Philologiae studium requirunt. (13) Verba enim ualent sicut nummi, adeoque constat, in scriptarum legum interpretatione, de uero uocum significatu, iure consultum omnino oportere esse sollicitum. Iam olim Antistius Labeo iure consultus, studii etymologici utilitatem in iuris prudentia optime perspexit, eoque in legibus enucleandis feliciter usus est, adeo, ut Gellius de eo dicat: (14) illum licet inter principes suae aetatis excelluerit, inferiores tamen et quasi iuris prudentiae pedissequas artes, non neglexisse, quinimo latinarum uocum origines rationesque percalluisse, et hanc scientiam ad enodandos plerosque iuris laqueos usurpasset. In scriptis enim legibus, saepenumero uoces

(13) Conf. BRUNNQVELLI dissert. praelim. de linguarum, Philosophia, antiquitatum, et historiarum studio cum iuris prudentia iungendo, praemissa eiusd. historiae iuris rom. germ. Amstelod. 1740. 8.

(14) Noct. Attic. P. XIII. c. 10.







ces technicae peculiariaeque loquendi formulae occurrunt, a quarum intelligentia, uerus legis sensus, ut dudum Cuiacius, (15) Brissónius, (16) Caluinus, (17) alii- que comprobarunt, proficiscitur. Perma- gni refert, uerba earum legum, quae medio aeuo sancitae sunt, cognita per- spectaue habere, (18) quoniam exinde eorum iurium, secundum quae caussae controuersae hodie in imperio romano ger- manico diiudicantur, origines, quam tutissi- me reperiri possunt. Atque adeo gratia ha- benda

(15) L. XXIV. Obf. c. 23.

(16) In opere de uerborum, quae ad ius ciuile per- tinent significatione, ex editione praestantissima, quae studio B. HEINECCI adornata eum praef. B. BOEHMERI prodit Halae 1742. f.

(17) In lexico iurid. Geneuae 1734. f. 2. Tomis.

(18) Conf. C. G. HOFFMANNI exercit. iurid. de uerborum in iure germ. ac Saxon. significa- tione, eiusd. praecogn. general. iuris prudent. adiecta Lipsiae 1723. 4.





benda est Loccenio, (19) Spelmanno, (20) Carolo du Fresne, (21) Wachtero, (22) Haltausio, (23) aliisque, qui iam in operosissimo hoc labore, posteritatem suis egregiis curis strenue subleuarunt.

In

(19) Vid. Ioh. L'OCCENI lexicon iuris Sueo-Gothici. Accedit explicatio uerborum Gotho-Teutonicorum iuris feudalis Vpsal. 1665. 8. et Holmiae 1674. 4.

(20) HENK. SPELMANNI Archaeologicum glossarium, continens latino-barbara, peregrina, obsoleta, et nouatae significationis uocabula, quae post labefactatas a Gothis Vandalisque res Europaeas occurrunt, scholiis et commentariis illustrata, prodit Londini 1687. f.

(21) Vid. CAR. DV FRESNE DOMIN. DV CANGE Glossarium ad Scriptores mediae et infimae latinitatis; editio noua locupletior et auctior opera et studio Monachorum Ordinis S. BENEDICTI ex congregatione S. MAVRI, VI. Tomis Paris. 1733--1736. f. prod.

(22) I. G. WACHERI glossarium germanicum, continens origines et antiquitates totius linguae germanicae, prodit Lips. 1736. f.

(23) C. G. HALTAUS glossarium germanicum praecipue iuris et fori german. editum Lips. 1757. f.





In constituenda solida iuris prudentia, ueram legum intelligentiam, excipit accurata factorum inquisitio, de qua nunc uidebimus. Quotiescunque in legum applicatione de facto quaeritur, toties intelligitur actio humana, quae non nisi a sciente et uolente peragitur, quamque lex modo respicit, eique moralem imponit necessitatem. Idcirco illum pro actionis auctore solum habendum, eique factum perpetratum esse imputandum, qui et intellectu et uoluntate gaudeat, et hisce animi facultatibus recte uti possit, contendimus. Etenim huiusmodi animae facultatibus destituti, cum ea quae faciunt ne quidem intelligant, multo minus leges cognoscere, nec illis obtemperare possunt. Inde manifeste apparet, quare eiusmodi hominum actiones ad legum normam non exigendae, et in ipsa humanarum actionum consideratione illarumque cum legibus comparatione, cur prius

E

prius






prius de auctore actionis, quam de facti diiudicatione sit cogitandum. Haec enim, necesse est; toties ut exulet, quoties actio ad auctorem referri non potest. Occurrunt quidem non raro in legibus exempla, quae indicant, et eos qui neque quid agunt, neque legitime contrahere possunt, utique ad indemnitate praestandam teneri, ut pupillus, furiosus, ex negotiis gestis aliisque quasi contractibus. Verum in huiusmodi negotiis, prorsus non quaeritur, utrum quis fecerit quid, sed potius, an cum alterius damno possit locupletari. Quod cum a lege naturali de suo cuique tribuendo alienum sit, facile colligitur, furiosum aequae ac pupillum ad restituenda ea, quae naturalis aequitas postulat, citra ullam actionem obligari; quoniam in hisce casibus obligatio immediate ex lege venit, atque adeo furiosi uel pupilli consensus non anxie quaeritur, sed tuto fingitur.





gitur. Si quis autem auctor actionis existimandus, tunc applicationem legis, necesse est, ut præcedat accurata facti cognitio. Hanc uero assequemur, si omnes circumstantias quas uocant, et antecedentes et concomitantes et subsequentes, exquisitè considerauerimus. In facti peruestigatione enim, nec minima circumstantia, quippe quae frequentissime totam causam uariat, praetermittenda. Inde si, exempli causâ, de contracto negotio quaestio est; primum consideranda uenit causâ contrahendi impellens, an iusta fuerit nec ne; deinde quod ad ipsum negotium expendendum: utrum in eo perficiendo uterque contrahentium legitime egerint, an forsân alter alterum fraudauerit; denique dispiciendum: utrum ea de quibus tractatum est, paciscentes statim, an posthac rata habuerint an plane reiecerint. Sicuti autem in facto exquirendo semper maxima circum-






spectio adhibenda: ita tum maxime iure  
 consultum cautum esse oportet, cum de  
 puniendo crimine sententia ferenda. De-  
 licta enim frequenter sequuntur poenae,  
 quae uel ipsam homini uitam auferunt,  
 uel saltem temporalis felicitatis iacturam  
 secum trahunt. Vtraque damna cum irre-  
 parabilia sint, postulantis legibus, eius-  
 modi supplicia non nisi de plane confes-  
 sis et conuictis reis esse sumenda, ra-  
 tio dicitur. Ad hoc respiciens Claudius  
 Saturninus iure consultus, optime cen-  
 suit, (24) delicta septem modis esse di-  
 iudicanda, causa scilicet, persona, loco,  
 tempore, qualitate, quantitate et euentu.  
 Ita, exempli gratia, in furti crimine puni-  
 endo aliter statuimus, si res lucrandi ani-  
 mo ablata, aliter si libidinis aut perulan-  
 tiae causa surrepta; consideratur persona  
 furis eiusque aetas, educatio, num ab  
 aliis

(24) *l. 1. §. 16. D. de poenis.*






aliis corruptus et impulsus fecerit, num eum facti poenituerit; respicitur ad locum ubi furtum commissum, utrum publicus uel sacer, an priuatus sit; discernitur tempus diurnum a nocturno; indicant furti qualitatem uis adhibita, itemque aedium effractura; magnum aut paruum sit constat quantitate; denique utrum modo attentatum, an consummatum fuerit, euentus docet. (25)

Quae ergo genuina sint fundamenta, quibus solida nitatur iuris prudentia, ex his, quae haecenus disseruimus apparet, simulque conicere licet, quibus scientiis illos instructos esse deceat, qui iura uel in Academiis profiteri, uel alias de re publica et patrocinando et consulendo et iudi-

E 3                      cando

(25) De applicatione iuris ad factum uideatur in primis GUNDLING in iur. nat. ac gent. C. IV. et in Gundlingianis Part. XXXVI. n. 5.





cando bene mereri exoptant. At enim-  
 uero, ars longa, uita breuis. Accedit  
 quod saepenumero iuris cultorum ea fa-  
 cultatum sit conditio, ut in Academiis non  
 diu commorari, legumque studio iustum  
 tempus impendere possint. Verum ta-  
 men rei publicae salutem, magna ex par-  
 te, a solida iuris prudentia pendere uel  
 rusticus intelligit, si suo periculo monitus,  
 a uero iure consulto discit, se suae causae  
 iacturam fecisse imperitia tum iudicis tum  
 aduocati, qui cruda adhuc studia in fo-  
 rum protruserunt. Opera igitur legum  
 cultori, qui sibi aliisque prospicere cupit,  
 omnino danda est, ut solidam assequatur  
 iuris prudentiam, quam sine dubio obti-  
 nebit, si monito Iustiniani Imperatoris  
 (26) obtemperans, primo leui ac simplici  
 uia, deinceps uero diligentissima atque ex-  
 actissima interpretatione, singula tradide-  
 rit.

(26) §. 2. I. de iust. et iur.





rit. Formet ergo ante omnia sibi genuinam specierum iuris ideam, quam historia iuris suppedietabit; discat a fideis doctoribus iuris principia et legum fontes; audiat et aliorum ordinum doctores in illis praecipue disciplinis, quae legum intelligentiam adiuuant; hisque ad explicandas leges doctrinis innutritus, in compendiis et commentariis non diu haereat, quin potius credat, se plus ex ipsis legibus, quam e doctorum interpretationibus, quae semper legibus postponuntur, discere posse. Ita ad iuris peritiam proprio Marte excolendam instructus, properet in forum; exerceat se ibi in applicatione legum ad facta, coniungat perpetuo theoriam cum praxi, et tunc experietur, quid distent aera lupinis, quid solida sit iuris prudentia. Haec ut in celebratissima hac musarum sede, semper sancta inuiolataque seruata fuit; ita pariter nihil mihi prius, nihil antiquius est, quam omni studio al-







laborare, ne ab hoc legitimo tramite unquam abducar. Secundet DEVS IMMORTALIS incepta, felici euentu. Gubernet, foueat atque conseruet sapientissimus et potentissimus ille uniuersi mundi moderator, SERENISSIMVM PRINCEPEM AC DOMINVM, DOMINVM CAROLVM, BRVNVICENSIVM ET LVBENVRGENSIVM DVCEM, ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE NVTRITOREM MVNIFICENTISSIMVM, DOMINVM NOSTRVM AC PRINCIPEM LONGE CLEMENTISSIMVM, PATREM PATRIAE, non minus singulari clementia, quam admiranda humanitate, exoptatissimum diuinitusque datum. Fac o! AETERNE DEVS, ut sapientissimum optimi principis regimen, pax perpetua toti romano germanico imperio desideratissima, quam citissime fortunet. Viuat INDVLGENTISSIMVS DOMINVS AC PRINCEPS CAROLVS una cum REGIAE



GIAE EXCELSITATIS CONIVGE PHILIPPINA CHARLOTTA, DOMINA AC PRINCIPE NOSTRA CLEMENTISSIMA, ad summam senectutem semper felix fortunatusque. Tueatur summus omnium rerum gubernator et conseruator, SERENISSIMVM PRINCEPEM HEREDEM, CAROLVM GVILIELMVM FERDINANDVM, auitarum heroicarumque uirtutum felicissimum aemulum, iubeatque, ut AVGVSTA DOMVS GVELFICA, omnibus fortunae ornamentis ad saeculi usque finem exsplendeat. Cumulet praeterea fons omnis salutis SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI ILLUSTRISSIMOS EXCELLENTISSIMOSQVE PURPURATOS, omnibus bonis, summaque felicitate. Praestet adhaec MAGNIFICVM DOMINVM VICE RECTOREM PATRESQVE ACADEMIAE maximopere uenerandos, fautores et collegas in primis colendos, semper  
 E 5                      saluos





saluos incolumesque. Pari quoque fortuna  
 exhilaret mei amantissimos, generosif-  
 simos ac nobilissimos ACADEMIAE CI-  
 VES. Sartam denique tectamque conser-  
 uet SVMMVM NVMEN, ALMAM ACA-  
 DEMIAM IVLIAM CAROLINAM, et  
 permittat, ut illius dies natalis, in multos  
 annos semper iucundior illustriorque re-  
 uertatur. Ita enim fiet, ut scientiae in  
 dies capiant incrementum, rei que tum  
 publicae tum litterariae honos et felicitas  
 magis magisque augeatur.

DIXI.



PRO-





## PRORECTOR

ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE  
D. IOHANNES FRIDERICVS  
EISENHART

VNA CVM SENATV  
CIVIBVS STUDIOIS

S. P. D.

**I**ncidit in hunc annum quem nunc agimus huius saeculi sexagesimum, almae nostrae Iuliae Carolinae natalis centesimus octuagesimus quartus. Nostrum igitur est, carissimi Commilitones, ingens hoc DEI beneficium et agnoscere et celebrare, quod tam luctuoso tempore tam turbulento rerum statu, inter calamitates, quae tot prouincias et uicinas quoque academias adfligunt, almam nostram Iuliam Caro-





Carolinam inconcussam et immotam conseruauerit, et nos in hunc usque diem superesse uoluerit. Idem praeterea orandus et serio inuocandus, ut uelit nostrum omnium misereri, malis tandem mederi bonisque studiis, quibus res publica et priuata nititur, tranquillitatem et dignitatem restituere. Ne igitur sollemnia negligamus quae more maiorum natali academiae Iuliae Carolinae debentur, dies XV. Octobr. huic festiuitati dictus est. Publico nomine DEO gratiasaget et orationem sollemnem sui que noui muneris auspicalem recitabit

VIR EXCELLENTISSIMVS ATQVE

CONSULTISSIMVS

IOHANNES IACOBVS HOEFLER

Philosophiae et Iuris utriusque Doctor,

Iuri.





Iurium Prof. Publ. ordin. facultatis iuridicae Assessor, collega noster coniunctissimus, Ad quam audiendam Illustrissimos S. R. I. COMITES, generosissimos atque praestantissimos huius academiae Ciues, qui dilectam hanc musarum ciuitatem ut altricem ut matrem complectuntur, inuitamus, ut hor. II. die crastino, in Iuleo maiori frequentes conueniant et oratori auscultatione decus adferant et beneuolentiam demonstrant. P. P. die XIV. Oct.

MDCCLX.









ULB Halle  
005 382 203


3











Farbkarte #13

B.I.G.

D. IOHANNIS IACOBI HOEFLERI  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ANTECESSORIS

21.

DE

1758, 3 b

PRIMIS ET GENVINIS  
LEGVM FONTIBVS

COMMENTATIO

13

ACCEDIT

DE

SOLIDA IVRIS PRVDENTIA  
GENVINIS FVNDAMENTIS  
SVPERSTRVCTA

DECLAMATIO SOLLEMNIS



UNIVERS.  
ZVITALE

HELMSTADI

APVD CHRIST. FRIDER. WEYGAND

MDCCLXI